



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xxii [i.e. xvii]. Veritas transcendentalis est ipsa intrinseca rei  
cognoscibilitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)



XVII. Veritas objectiva, metaphysica & transcendentalis, seu in essendo, alterum entis attributam est ipsa intrinseca rei cognoscibilitas, seu ipsa rei entitas, quatenus hæc per seipsam ingenerare potest sui conceptum, seu quatenus ex se & ab intrinseco conformabilis est intellectui verè & infalibiliter judicanti & repræsentanti illam, ut in se est. Alia enim est cognoscibilitas formalis & quasi passiva, quam res habet ab extrinseco, nimirum à cognitione seu intellectu: alia fundamentalis & quasi activa, quatenus res per se ipsam potest causare in intellectu sui cognitionem, seu eum movere ad sui cognitionem (latius aliquantò accipiendò *tò movere*, non pro solo objecto motivo, sed pro ut quid commune est objecto motivo & terminativo) & hæc rei cognoscibilitas prior est cognitione (etiam suo modo divinâ, quatenus divina hujus rei cognitio sine illa re esse non potest) quamvis in ordine ad eam explicetur. Talem cognoscibilitatem non habent entia rationis vel negationes, cum per se ipsa non sint apta terminare cognitionem, cognoscuntur namquè semper ad modum  
entis.



entis, vel per ordinem, tanquam familia vel  
opposita, ad verum ens; sicut tamen abusive  
& analogicè dicuntur entia, sic abusivam ali-  
quam & analogicam dicuntur habere verita-  
tem. Minus apta est veritatis explicatio, quâ  
dicitur esse conformitas rei cum sua regula  
seu cum exemplari & idea divina; Deus  
enim, cui vel maximè competit hæc trāscen-  
dentalis veritas, non potest esse conformis  
sue cognitioni practicæ, qualem sonat idea  
divina, etsi de cætero verum sit, quod ve-  
ritas hæc sit conformitas cuiusquæ rei cum  
propria & prima sui mensura, seu intelle-  
ctu divino, semper actu & perfectè intuen-  
tere rei, sicut ipsa est. Minus quoque apta  
est illa, quâ verum dicitur esse *id, quod  
est, non autem quod videtur esse*: id est, quod sit  
cuiusquæ rei entitas, quatenus illa per se  
ipsam est distincta ab omni alia entite,  
quod ad speciem illius naturam simulante,  
sic aurum dicitur verum, quatenus est  
distinctum ab aurichalco, aliave re, spe-  
ciem auri referente; non enim satis di-  
stinguit veritatem ab unitate, quæ cum sit  
ipsa rei entitas, in quantum distincta ab  
omni alia re, quæ non est ipsa, absquæ  
dubio



dubio etiam est res quatenus distincta ab alia re, naturam suam simulante, quamvis id non ita explicitè exprimat. E contra falsitas huic veritati opposita est negatio cognoscibilitatis per se, adeoque non convenit nisi nō enti & enti ficto, utpote quæ per suam entitatem non possunt se offerre, ac veluti sistere se intellectui ad cognoscendum, fundareq; activè cognitionem. Licet autem quodlibet ferè ens etiam aptum sit videri, quod non est, adeoque fundare cognitionem sui falsam, id tamen non tam entitati rei, quæ potius exigit cognosci, sicuti est, quàm intellectus imperfectioni adscribitur.

XVIII. Bonitas absoluta, metaphysica & transcendentalis est ipsa rei amabilitas, seu appetibilitas fundamentalis & quasi activa, quâ ens reale propter suam essentialem perfectionem; absquè ordine ad subjectum, cui hæc bonitas conveniat, amabile est. Possè enim per se ingenerare sui amorem, non est denominari ab amore aut appetitu rei intrinseco, sed est fundare amorem, & se sistere & offerre ad amandum, adeoque amabilitas hæc fundamentalis prior est, non tantum amore, sed & appetibilitate & amabilitate formali,